


Peter Hinckelmann Johann Bühnen von

De Anabaptismo Disputatio Elenctica Duodecima, Complectens Sectae Anabaptisticae Errores refutatos in loco De Libertate Christiana Et Communione Bonorum

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737665084>

Druck Freier  Zugang



*P. Kinkelmann.
P.M. theol. 1613.*

Collectio de anabaptismo, P. Hinkelmann, Fräses

- 1) W. Mallerii, De SS. scriptura 1613
- 2) D. Dencanus, De Deo Trinitate 1613
- 3) N. Waltherii, De Persona Christi 1613
- 4) M. Strubii, De baptismo 1613
- 5) J. Taimmanni, De coena domini 1613
- 6) A. Friderici, De peccato originali 1613
- 7) P. Blankenhagen, De ecclesia 1613
- 8) F. Mulleri, De ministris ecclesiae 1613
- 9) F. Sperberii, De ministerio ecclesiastico 1613
- 10) E. Lolepiti, De justificatione 1613
- 11) V. Garmannii, De bonis operibus 1613
- 12) F. von Bülowii, De libertate christiana 1613
- 13) P. Schartingii, De magistratu politico 1613
- 14) F. von Dike, De iudicio 1613
- 15) P. Michael, De conjugio 1613
- 16) D. Westerii, De fine aucto 1613
- 17) G. Machau, De mercatura 1613
- 18) B. Smoldini, De resurrectione 1613

12

DE ANABAPTISMO
DISPUTATIO ELENCTICA
DUODECIMA,

*Complectens Sectæ Anabaptisticæ Errores
refutatos in loco*

De

LIBERTATE
CHRISTIANA ET
COMMUNIONE BONORUM,

Quam

Divina S.S. Spiritus afsistente gratia

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI

Verbi Divini Ministri.

Private cœlestes subijcit

IOHANNES von Dühren Rostochiensis.

17. Cal. Iulij. Horâ & loco consuetis.



ROSTOCHII

Litteris Reusnerianis, Anno 1613.

DE ANABAPTISMO
DISPUTATIO ELIENICA
DUODECIMA

LIBERTATE
CHRISTIANA ET
COMMUNIONE BONORUM

Ex
Bibliotheca
Academicae
Rostochiensis



Σ Τ Ν Θ Ε Ω .

DISPUTATIO ANTICATA BAPTISTICA
XII.

DE LIBERTATE CHRIS-
TIANA ET COMMUNIONE BO-
NORUM.

CONTINUATIO.

Quales olim Pharisei, & scribæ, decimantes mentham & anethum & cuminum, reliquerunt, quæ graviora erant legis, ut, iudicium, misericordiam & fidem; ac propterea a b Emanuele nostro non immerito Hypocritæ, duces cæci, camelum deglutientes, culicem verò excolantes (a) vocantur: Tales etiam & non ab similes (pro dolor) hodie in cœtu, vinea & ecclesia Christi duces & doctores cæci reperiuntur, non solum Calvinisequæ, Papicolæ; (de quibus in prioribus duobus collegiis actum) sed etiam Anabaptistæ, homines fanatici, impii & blasphemii, quibus ferè nulla est religio, dum gravissima fidei nostræ fundamenta & articulos, impugnare; S. S. Scripturæ suas revelationes & somnia præferre; Deum authorem & principalem causam peccati facere; Divinitatem & humanitatem Christi negare, ejusq; meritum enervare; Pædobaptismum ejusq; efficaciam negare; Præsentiam Christi in cœna, oralemq; manducationem rejicere; Peccatum originis extenuare, libertatemq; arbitrii elevare; Ecclesiam profusè ἀναμάρτητον, regnumq; Christi corporale ac pacificum somnare; Ministerium nostrum Ecclesiasticum fugillare; Bona opera, ad salutem & vitam æternam, consequendam, necessaria, & alia plura, ut in superioribus disputationibus, vidimus, asserere haud verentur. Quid id aliud quàm camelū dentibus atrocibus dilaniare & deglutire? Interim de rebus minutis,

a) Matt. 23.
24.

A 2

simis

simis & per se Adiaphoris, Catonis torvum vultum induunt, dam-
nantes & prohibentes omnes ludos honestos, Musicam suavem,
vestimenta preciosa, saltationes, &c. Quid id aliud quam culicem
excolare? Quia verò hactenus errores, quos steriles & absurdos
in choro fovent, ex sacra scriptura refutavimus; In posterum, *ad*
9. 30. illos quos in foro habent examinaturi, hac disputatione
initium faciemus: De libertate Christiana & Communione bo-
norum.

CAPUT PRIMUM.
De Libertate Christiana.

Error Primus.

Libertatem Evangelii spiritualem referunt Anaba-
ptistæ, ad libertatem capiendi pro libitu aves, venan-
di & figendi feras, Lignandi &c.

REFUTATIO.

Controversia inter nos & adversarios Anabaptistas hic est:
*An homini Christiano, in quacunq; etiam regione vitam degenti lici-
tum sit, pro libitu & sua voluntate capere pisces &c. Nos negamus;
Illi affirmant, & pro stabiliendo errore, sacra scriptura testimonia
adducunt: nimirum, Quod Deus optimus, maximus finitæ omnium
rerum creatione, homini non solum primo (a) sed nobis omnibus hanc
potestatem concesserit, & quod spiritus sanctus eam ipsam post di-
luvium ad Noachum & filios reperiverit (b).*

1. Sed respondemus, licet nos nullo modo inficias ire possi-
mus, quod nobis omnibus, si in illo statu in quo Adam ante lapsum
(integritatis nimirum) fuit, superstites adhuc essemus, illa potestas
non esset negata, tamen nos jam post lapsum, eadem spoliatos
esse, probamus scriptura dictis. Quia Deus imperscrutabili suo con-
silio, divisit gentes, separavit filios Adæ (c) & divisit tempora man-
dato suo, posuitq; limites habitationis filiorum hominum; & paupe-
res & divites opulentia & inopia sunt à Domino; & huic quinq; alii
duo, alteri unicum dat talentum & minam: Qua inaequali distri-
bucio-

Vid. disput.
Hun. contr.
Anabap.
ih. 309.

a) Gen. 1. 28
c. 2. 19.
b) Gen. 9. 9.

c) Deu. 32. 8
Prov. 22. 2.
Syr. II. 14.
Matt. 25. 15
Eph. 4. 28.

butione Deus vult homines consociatos & sibi invicem devinctos
retinere. Ac severissimè mandat, ut unusquisq; laboret, operando
manibus suis quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem
patientis: Quo dicto omnes iniusta ac illicitè in aliena bona invasio-
nes, tanquam mala prohibentur.

2. Quin & evidens cuiuscunq; hereditatis & possessionis pe-
culiaris & distinctæ probatio, ab Israelitis desumi potest, quibus
Deus sorte distribuit terram (d), juxta familias pluribus latiorè pau-
cioribus angustiorè dari, & singulis ut sors ceciderit, ita tribui hère-
ditatem, atq; sic possessionem ac proprietatem cuiq; propriam esse
voluit.

3. Tum etiam hoc esset, si in alienam possessionem ac hèredi-
tatem quis invaderet, ac in alterius dominio caperet pisces, aves,
feras; furtum, quod non solum in septimo (e); quod furtum non faci-
amus; sed etiam in decimo, quod omnia, quæ proximi nostri sunt,
non desideremus, est prohibicum. Ideoq; & Paulus admonet fures,
ut qui furatus sit, non amplius furetur, & Deus pœnam, quæ illos
manebit, addit dicens: vae tibi prœdanti, nam vicissim spoliaberis,
& Paulus: fures regnum Dei non possidebunt.

4. Magistratui verò illa potestas & dominium est concessum
& conceditum: nam si potestatem in præstantius & melius, in ho-
mines sibi subjectos habet ad imaginem Dei creatos; Quid ni etiam
in feras & pisces animalia irrationabilia & bruta deteriora homi-
nibus?

5. Nos autem dicimus, quod vera libertas per Christum fit,
non corporalis, ac mundana, sed spiritualis ac cœlestis. (f) Nam si fi-
lius nos liberavit verè liberati sumus, quam libertatem non solum
Christus predicavit; verum etiam sanguine suo precioso nobis pepe-
rit, quæ non est corporalis (nam Christi regnum ut ipse fatetur non
est de hoc mundo). Sed spiritualis, quæ est pax cum Deo, conscien-
tia bona, spiritus sanctus, liberatio à peccato, ab ira Dei, à maledicti-
one legis & æterna damnatione.

d) Num. 26.
55. & 33. 54.
Iof. 18. 10.

e) Ex. 20. 15
& 22. 1.
Eph. 4. 28.
Esa. 33. 1.
1. Cor. 6. 10

f) Joh. 8. 36
Rom. 6. 18.
2. Cor. 7. 6. c.
8. 15. c. 14.
17.
Gal. 3. 13. c.
4. 5.
Eph. 2. 5.
Col. 2. 14.

A 3

6. Deniq;

g) De verbis Dom. cap. 20. In explicatio qua- rundam propo. ex Epist. ad propo. 72.

6. Deniq; Patrum dicta contra rapacem illam Anabaptista- rum libertatem noventur Augustinus inquit (g) : Si in ignem mit- titur, qui non dedit rem propriam, ubi putas mittendus erit, qui in- vastit alienam. Idem : Si penale est clanculum auferre, multo majoris pœna est, violenter eripere. Idem : Quanquam ad illud re- gnum vocemur ubi nulla est potestas huiusmodi ; in hoc itinere dum agimus, dum perveniamus ad illud seculum, ubi sit evacuatio omnis principatus, conditionem nostram, pro ipso rerum huma- narum ordine coleremus. Rabanus : Quid recipiet, qui aliena tulit, si semper ardebit, qui sua non dedit ? Fulgenius : Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur aus quid recipiet qui alie- nam tulerit, si semper ardebit, qui de suo non dederit ? Cassiodorus : amentur honesta lucra, horreantur damnosa compendia.

Error Secundus.

Renati & credentes in Christum non tenentur am- plius servire aut decimas aut Censur annuos dare, quia sunt liberati a lege.

Vide Cata- logum Hæ- re Schluff. lib. 12. con. Anab. fol. 708.

REFUTATIO.

Non secus ac Pharisæi & Saducei qui auditores docebant, quod illi, quia essent populus Dei & semen Abraha, de quo etiam coram Christo gloriabantur (a), alterius domini & regni iugo non es- sent subiecti, ideoq; multas seditiones, sanguinolentaq; bella mo- v- runt, sed quâ fortunâ, & quo eventu, satis superq; constat : Ita et- iam Anabaptista suos erudiunt, quod, quia sint ecclesia vera, non opus habeant, ut serviant, censusq; annuos magistratui porrigant, qua de re funestissimum, quod vulgò Rusticorum bellum nominatur, principibus, ut eorum Jugum excuterent, intulerunt, non animo per- pendentes quod Beda dicit : Si totus orbis adversum me conjuraret ut quicquam moliar adversus Regiam majestatem, ego tamen Deum timeo & ordinatum ab eo Regem, offendere temerè non auderem. Sed qua felicitate id effecerint lippis & consoribus non ignotum ar- bitror, Quod vero illi affirmant, nos per Christum non solum a servi- tute

a) Ioh. 8. 33.

eute spiciuiali, peccato, Demone, aeterna morte & c. sed etiã corporali,
esse liberatos & redemptos, ita ut Christianus homo non opus habeat
ullam seruicuem suo magistratui prestare, ullaq; tributa aut ve-
tigalia dare; id nos melius edocti e contra negamus, nostramq; men-
tem probamus.

1. Sacra Scriptura testimoniis & admonicionibus, ex qui-
bus primum; quod nimirum seruire censantur etiam credentes ac
renati, satis aperte constat. Apostolus (b) enim adhortur seruos ut
dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis
obediant: non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem
bonam ostendentes, & non solum bonis & modestis; sed etiam disco-
lis. Et Apostolus Petrus inquit: Subditi estote omni humana or-
dinationi, siue Regi quasi præ excellenti, siue ducibus tanquam ab eo
legatis & missis. Ac admonere iubet Titum Paulus omnes pote-
stacibus & principibus subditos esse, in omnibus nimirum legibus &
mandatis, pietati & honestati consentaneis. Non est n. inquit pote-
stas nisi à Deo, quæ autem sunt potestates à Deo ordinatæ sunt, itaq;
qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

2. Exemplis: Nam ab initio mundi serui fuerunt. (c) Ita
seruus Abrahami Domino suo subditus est, & negotium sibi com-
missum fideliter expedit. Ita Iacob Labano, Ioseph à fratribus
venditus Potipharo seruit. Ita obedientiam præstabant subditi &
serui Davidis, milites Iehu, ita etiam in nouo Testamento centurio
Capernaiciticus & Cornelius suos fideles seruos habuerunt.

3. Parabolis & similitudinibus; quibus Christus fidelitatem
& diligentiam seruorum admodum prædicat & extollit, eamq; ma-
ximis præmiis & remuneracionibus ornat (d) in fidelitatem verò &
negligentiam maxime reprehendit, suasq; illi pœnas denunciat; quod
certè, si seruitio ministrorum non delectaretur, minime faceret.

4. Deinde quod census annuos & tributa magistratui debeam-
us: exstat mandatum expressum Christi (e), qui iubet quæ sunt
cesari, cesari, & quæ sunt Dei, Deo dare & exhibere. Et
Paulus

b) Eph. 6. 15
1. Tim. 6. 1.
Col. 3. 22.
1. Pet. 2.
13. 18.
Tit. 2. 9.
Rom. 13. 1.

c) Gen. 24.
10. c. 29. 15.
39. 14.
1. Sam. 17.
14. & 15. 13.
2. Reg. 10.
25.
Matt. 8. 9.
Act. 10. 7.
d) Matt. 18.
23. c. 20. 1.
c. 24. 45. c.
25. 14.
Luc. 12. 36.
c. 16. 1. c. 19.
13.
e) Matt. 22.
21.
Mar. 12. 17.

Luc. 20. 25.
Rom. 13. 6.
7.

1. Sam. 8. 11.

f) Gen. 14. 20
Mart. 22. 21.
Matt. 17. 27
Luc. 2. 4.

g) Matt. 10.
10.

Luc. 10. 7.
Deut. 25. 4.
1. Cor. 9. 7. 9
1. Tim. 5. 12.

h) Gal. 3. 13
c. 4. 5.
1. Tim. 1. 9.
Rom. 6. 14.
Matt. 11. 13.
Psal. 1. 2.

Paulus omnibus hominibus præcipit, ut necessitate subditi sint, non solum propter iram, sed conscientiam; id eo, enim, addit, tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes: Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; Cui vectigal, vectigal. Et Samuel ad Israelitas dicit: Rex vester greges vestros decimabit.

5. Sic Patriarcha Abraham Regi Salem Melchisedech decimas suorum facultatum solvit (f). Et non solum salvator noster (cuius actio debet esse nostrum omnium institutio) mandavit; sed etiam per Petrum apostolum censum dari curavit. Et, si Ioseph & Maria præcepto & mandato Caesaris Augusti paruerunt, in urbem patriam Bethlehem ascendentes, & censum eidem, ut magistratui ethnico persolventes, cur nos non multo magis nostro sancto & Christiano?

6. Ut sic vectigalibus & tributis nos Christiani testemur, nos nolle magistratui ut ministro Dei resistere; sed vel mercedis, vel præmii loco, sumptus, quos gubernatio politica requirit maximos, retribuere; ac labores, quos pro salute Reipublicæ sustinet graves & sublimes compensare, juxta præceptum Christi (g) operarius dignus est mercede. Et hoc etiam indicum est omnibus hominibus & legi nature convenit, quamobrem etiam apud ethnicos, ut census subditi suo Magistratui darent, in usu fuit. Quare & Paulus dicit: Quis militat propriis stipendiis? Quis plantat vineam & de fructu eius non edit? Quis pascit greges, & de lacte gregis non edit? Et Moses: non obligabis os bovi trituranti.

7. Quod vero ad rationem illam quam Adversarii pro errore suffulciendo adducunt; (h) Quia liberati simus à lege; item alia dicta; Quod iusto non sit lex posita; quod non simus sub lege sed sub gratia, quibus nituntur, accinet: respondemus, illa dicta loqui. 1. de ceremoniali & forensi lege, non de morali, quæ obligat omnes homines, in qua quotidie nocte & die exercere nos debemus; ut scriptum est. Beatus qui lege Domini delectatur & in ea meditatur die

ac nocte

ac nocte. 2. De Lega cogente ac damnante. Pii enim ac Renati à coactione & maledictione legis per Christum sunt liberati.

8. Tandem & Patrum auctoritatem, qui nobiscum uno ore loquuntur, adducimus. Augustinus inquit (i): In militia quidem seculi, exhibe regi ac Domino terreno fidele servitium, quia hoc diligit Deus, hoc mandat Apostolus. Idem: Solve tributum esto mihi in obsequium. Idem, Si quis putat quoniam Christianus est, non sibi vestigal esse reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum, ille in magno errore labitur. Iustinus Martyr: Deum solum adoramus, vobis autem, in aliis rebus læti servimus, vos & principes hominum esse profitemur. Bernhardus: cum nobis triplex sit proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate, hanc ultimo loco positam conculcit nobis in conditione natura, in prima restauramur à gratiâ, mediâ reser-
vatur nobis in natura. Chrysostomus: Ab antiquis temporibus communi omnium sententiâ principes à nobis sustentari visum est, ob id quod sua ipsorum negligentes, communes res curant, universumque suum ocium ad ea impendunt, quibus non solum ipsi, sed & qua nostra sunt salvantur. Augustinus: Majores nostri ideo copiis abundabant quia libenti animo decimas Deo dabant & censum Casari reddebant.

Error Tertius.

Piis non licet preciosè vestiri, lautis cibis uti, convivia celebrare, musicam exercere, saltare, &c.

REFUTATIO.

Hunc errorem duces cæci camelum deglucientes calicem vero excolantes, partim quo ad vestitum & cibos cum Monachis & Papicolis, partim quo ad musicam & saltationes cum Calva cohorte fovent (a), & in eadem sententiâ sunt, qui omnia organa & instrumenta musica, & cantum figuralem è templis ejecerunt & ad Rhadamanthi Iudicium relegarunt, quo factò sacis produunt cuius spiritus filii sint.

B

s. Sed

i) De fide ad Petrum. In expot. quar. pro. ia Epist. ad Pet. pro 72. Apol. 2. De libro arbitrio. Hom. 48. lib. 30. Hom

Idem Ibi dem.

a) Vide Papis. disp. 19. & 21. Calvinismi ultimam.

b) Esa. 29. 13
Matt. 15. 9.
Ezech. 20.
18.
Esa. 1. 12.
Col. 2. 8.

I. Sed omnes hæ illorum & id genus sine verbo Dei ex proprio intento susceptæ traditiones aliæ, unico hoc dicto Christi ex Propheta citato tanquam fulmine prosteruntur: (b) Frustra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum. Et apud Ezechielem dicit Dominus in Præceptis patrum (nimirum novas leges statuendum) nolite incedere, ego Dominus vester in præceptis meis ambulante. Et apud Prophetam Esaiam graviter istos novatores & dictatores objurget, dicens: quis quæsi vit hoc de manibus vestris. Et Apostolus hujusmodi traditiones secundum Elementa mundi, & non secundum Christum, vocat inanem fallaciam, per quam ne quis decipiat nos studiosè cavere jubet. Si inquit, mortui estis cum Christo ab Elementis mundi, quid adhuc, tanquam viventes in mundo, decreti tenemini? ne tetigeritis, neq; gustaveritis, neq; conrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in Electis cultibus, & humilitate, & non ad parcendum corpori non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Quibus dictis singulis etsi in genere omnes hujusmodi traditiones solide refutantur, tamen ad singulas in errore positas, breviter.

c) Luc. 16.
19.
Esa. 3. 16.
& seq.
d) Exod. 28.
2. & seq.
Esth. 8. 15.
Psal. 45. 5. 9.
10. 14. 15.
Judith. 10. 3.
e) Esa. 5. 12.
Ezech. 16.
49.
Luc. 16. 19.
5. 21. 34.

2. Quod ad vestitum pretiosum, cum in eo nec modus nec conditionis cuiusq; decorum observatur, ut de Divite & aliis legimus (c), cum illicitum imo & damnosum esse ultrò largimur; secus verò, minimè. Pretiosi enim ornatus in vestitu, tam in sacris sive Ecclesiasticis, quam profanis sive politicis rebus, usum mandari commendari ac concedi & S. S. Scripturæ dictis & exemplis, quæ in sacro codice videntur (d), probatur.

3. Idem quoq; ad lauciores cibos respondemus, non usum sed abusum eorum damnari. (e) Omnis enim creatura, ut Apostolus inquit (f) bona est nihil rejciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum & orationem. Et Christo teste, omne illud quod ingreditur os, hominem non facit impurum. Omnia pura puris: pollutus autem & infidelibus nihil est purum, sed po-

sed polluta est eorum mens & conscientia: & nihil est impurum per se, sed ei, qui existimat esse impurum, illi impurum. Et Beatus qui non condemnat seipsum, in eo quod approbat. Qui vero dubitat si ederit, condemnatus est quoniam non edidit ex fide: quicquid vero non ex fide fit peccatum est; & regnum Dei non est esca & potus, sed iusticia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Nemo itaq; vos iudicet in cibo & in potu.

4. Quod verò ad nuptias & convivia attinet, illa celebrari possunt, si cum gratiarum actione, modus in appositione ferculorum servetur. Nam hoc approbat Christus salvator noster ipse (g) & Dominus per Zachariam prophetam dicit: Benedictio divina est, si vocabitur vir amicum subter vineam & ficum. Et in bono die, bonis est fruendum, & gaudendum cum gaudentibus, nihil enim est melius quam comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis, & hoc de manu Domini est. Non autem malos & sceleratos sed viros justos, ut Syrach dicit, ad convivia vocare debemus, & cum illis gloriari in domino.

5. Quemadmodum Convivia & nuptias celebratas fuisse, non solum veteris Testamenti exempla approbant (h) Parentum Rebeckæ, qui filia fecerunt nuptias: Labanis, qui convocavit omnes homines illius loci & fecit convivium. Item: Simsonis, Assueri, Tobie, qui vocavit viros timentes dominum; & Achior ac Nabath consobrini eius, venerunt ad eum hilari & læto animo gaudentes cum eo, & per septem dies epulari sunt: Sed etiam Novi Testamenti, (i) ut nuptiæ in Cana & convivia Phariseorum ac Publicanorum à Christo frequentata; tum & inde à Christo sumptæ parabole testantur. Et in primitiva ecclesia apostolorum, hæc consuetudo observata fuit, Teste Chrysostomo (k), & in iure canonico approbata.

6. Musicam & saltationes etiam retinemus, mori admonitionibus Prophete Regii Davidis, ut laudemus Dominum in sonoribus, in Nablo & Cithara, in tympano & choro in Cymbalis bene sonantibus.

f) 1. Tim. 4.
4.
Matt. 15. 1.
Tit. 1. 15.
Rom. 14. 14
17.
Col. 2. 16. 1

g) Luc. 14. 8
12.
Zach. 3. 10.
Eccl. 7. 15.
Rom. 12. 15.
Eccl. 2. 24.
Syr. 9. 22.
h) Gen. 24.
54. c. 29 22
Iud. 14. 10.
Esth. 1. 3.

Tob. 2. 2. c.
11. 20.
i) Joh. 2. 2.
Matt. 9. 10.
c. 22. 2.
Luc. 5. 29.
c. 7. 36. c. 10
38. c. 11. 37. c.
14. 1. 12. c.
19. 5. 6.

k) par. 2. de
cre. caus. 32
q. 3
l) Psal. 57. 9
& 71. 22. & c.
92. 4. & 98.
5. & 108. 3.
& 144. 9. & c.
147. 7. & 149
3. & 150. 3.
4. 5.

nantibus. Et ipse se ad Musicam incitans dicit: evigila Nablum & Cithara. Huc etiam pertinet illud Pauli: impleamini spiritu, loquentes vobis ipsis, per psalmos & hymnos, & cantiones canentes, & psallentes in corde vestro Domino. Item: Sermo Christi inhabitet vobis opulente, cum omni sapientia, doceat & commoneat vos invicem cantionibus & laudibus, cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde vestro Domino.

7. Exempla multa pro nostra sententia possumus in medium adducere. David enim dulcisona sua Cithara harmoniam malum spirituum, qui Regem Saulem angebat & torquebat, depulit. Ac cum omni Israel, coram Deo in omnibus lignis, abiegnis, & citharis, & lyris, & tympanis, & Sistris, & cymbalis lusit. Idemque iussit & dixit principibus Levitarum ut constituerent, de fratribus suis cantores, cum instrumentis musicis, nablis, citharis, & cymbalis, ut resonarent vocem in letitia. Et cum Eliseus cuperet sibi adduci Psalterium & eum audiret instrumento musico suaviter ludentem & pulsantem, facta est super eum manus Domini. Et Jeremias ac omnes cantores & cantrices lamentationes super Josie mortem instituerunt. Si itaque musica & instrumentis musicis spiritus sanctus delectatur & excitatur; & David & reliqui sancti homines ad laudandum & celebrandum Deum, iisdem usi sunt, cur nobis Christianis eadem essent negata?

8. Denique de Saltationibus inquit Ecclesiastes (n): datur tempus saltandi: Ergo si datur aliquod tempus, saltationes honeste sunt concessae. Sic legimus de Davide, quod coram arca Domini publice saltaverit: & quod mulieres victoriam eius de Goliatho choreis & cantibus celebraverint, & de Maria, quod cum caeteris mulieribus victo, strato, & interfecto Pharaone choreas duxerit.

9. Hisce unum atque alterum exemplum ex orthodoxa antiquitate subiciemus. Tertullianus: (o) Deus ventre non colitur, nec cibis, quos Dominus dicit perire, & per secessum naturali lege purgari, nam qui per escas dominum colit, prope est ut Dominum habe-

m) 2. Sam.
16. 22.
2. Sam. 6. 5.
2. Reg. 3. 15.
1. Par. 15. &
25. 1.
2. Par. 35. 24

m) Eccl. 3. 4.
2. Sam. 6.
14.
2. Sam. 18. 7.
Exod. 15. 20

o) lib. de cib.
uda.

habeat ventrem suum, cibus verò sanctus & immaculatus est fides
 recta, munda conscientia, & innocens anima: quisquis sic pascitur,
 Christo convalescit, nec enim carnis est Deus, ut carne placetur.
 Chrysostomus: Summa cum honestate nuptias celebrarunt, nunquam
 ibi superflua & inutilia, nusquam diabolica pompa. Idem; non
 omnino regem conveniendum esse nonnunquam, & concenandum;
 sed inhonesta sed turpia convivia interdici velim; Ambrosius ex
 musicâ, sub Arrianorum persecutione dicitur animum erexisse &
 vehementer confirmasse. Augustinus fatetur se harmoniâ musica
 sub initium suæ conversionis adeo commotum fuisse, ut ex devotio-
 ne sæpe lachrymas inter canendum largiter profuderit.

In fermo.
 Lib. 9. con-
 fol.
 In lib. conf.

Error Quartus.

Omnes homines sunt æquales nec sunt ferendi ho-
 norum aut dignitatum gradus.

Vid. dif. F. H.
 contr. Ana-
 th. 233.

REFUTATIO.

Non solum in choro & thoro, sed etiam in foro errores haud
 leves eosq; in Ecclesia non ferendos & tolerandos habent, cum Carl-
 stadio (a), qui sibi doctoris titulum abrogavit fratremq; se nomina-
 vit; Zuinglio, qui dixit se cum fastidio legere titulos, Doctoris &
 professoris Theologiae; Roberto Gualperio; Calvinianis, unum cur-
 rum trahentes.

a) In act's
 libri deca-
 natus coll.
 The. Acad.
 Witte.
 Epist. ad Bu-
 gen.
 In 2. cap.
 Ioh. fol.
 407. & 408
 b) 1. Pet. 2.
 17.
 Rom. 13. 1.
 Prov. 8. 16.
 Exod. 22. 28
 Pfal. 82. 1. 6.
 Ebr. 49. 23.
 Rom. 13. 4.
 Pfal. 48. 72.
 Ezech. 34. 23.
 1. Cor. 14.
 40. 33.

1. Sed respondemus quod magistratui honoris titulus debeat-
 tur, quia habet ordinationem divinam, (b) non n. est potestas nisi à
 Deo, & quæ sunt potestates à Deo sunt ordinatæ & institutæ. Deus
 enim est qui stabilis regna, & per ipsum reges regnant, & consilia-
 rii iusta decernunt & principes principatum gerunt. In Deo ipse
 honoris titulum indidit, vocans & nominans eos Deos, item filios
 excelsi, nutrices & nutritios, Diaconos, Pastores & Patres &c.

2. Et Christus, qui vult ut omnia ordine & decenter fiant,

B 3

non

c) Luc. 14. 8.
Matt. 22. 21.
Luc. 22. 25.
Rom. 13. 7.
c. 12. 10.
Phil. 2. 3.

non enim Deus author confusionis est, sed pacis, Phariseos venū-
sta & eleganti parabola (c) cum videret, quomodo primos accubitus
eligerent, perstringit & docet, in convivio inferiorem locum, ne for-
te honoratior quispiam sic invitatus, occupare. Et ipse man-
dat, ut illa quæ sint Cesaris, dare debeamus; sub quibus etiam cen-
sus, honores & reverentia comprehenditur. Et ad discipulos di-
cit: reges gentium dominantur, & qui potestatem habent, vocan-
tur benefici. Et Paulus omnes adhortatur, dicens: reddite quod
debetis, cui timor, timorem: cui honor, honorem, & diligite fratres
vestros, prævenientes honore alii aliis, nihilq; per contentionem &
inanem gloriam agite, sed in modestia, alius alium se præstantiorem
existimet.

d) Lev. 19.
32.
Prov. 25. 6.
1. Pet. 2. 17.
1. Tim. 2. 7.

3. Et in veteri testamento severissimè Deus in mandatis om-
nibus hominibus dat, ut coramcano capite consurgant, & honore
persequantur personam senis. (d) Et Salomon dicit: ne igitur magni-
fices te coram rege & in loco magnatum ne steteris. Et Apostolus
Petrus dicit, omnes honorate, Deum timeate & regem honorate. Iam
verò si hi gradus honorum & dignitatum essent abrogandi, ut Ana-
baptiste falluntur, nunquam Christus Deus & spiritus sanctus in S.
S. Scriptura eot tantisq; elogiis eū ornasset. Et Paulus ipse sibi hono-
rem debitum tribuit; nominans se Doctorem gentium in fide & ver-
ritate.

e) Gen. 14.
22. c. 20. 17.
c. 47. 3. c. 50
18.
1. Sam. 24. 7
2. Sam. 19.
21.
3. Sam. 14. 5
c. 15. 21. 32.
Matt. 8. 8.

4. Sic (e) Abraham Regibus Melchisedech, Abimelech, Ia-
cob Regi Pharaoni, debitam honorem & Reverentiam exhibue-
runt. Fratres Iosephi coram eo procidentes se servos illius nomina-
runt. Propheta regius David coram Rege suo Saule inclinans fa-
cie in terram, nominavit ipsum Christum Domini. Ita & Abisai
vocat Davidem unctum Iehova. Sic Propheta Nathan, mulier
Thecutis, Ioab, Ithai, Cusai, Davidi; & centurio Immanueli no-
stro reverentiam exhibuerunt. Quin & Ethnici hoc ex lege natu-
ræ habuerūt, quod honore afficere suos magistratus & principes debe-
rent;

rent, ut ex historiographis patet. Senatores Romani vocabantur Patres conscripti, quo nomine nihil honestius & antiquius, &c.

5. Tum & hoc sine instituta sunt potestates & honorum gradus, ut ad bonum ordinem gubernationis universi mundi, omnia ex Deo disponantur ac administrantur, nam si alter alteri, quoad honores esset similis, nullus alterum curaret, nec societatis politicae ulla conjunctio, quae sine mutuis officiis imparis conditionis hominum, constare minime potest, esset.

6. Quod autem adversarii nostri inferunt dictum Christi: Magistros nolite vocari, unus enim est magister (f) & unus Dominus: Ad id respondemus, quod Christus & Apostolus in istis locis, saltem humanam praesumptionem damnent, qua homo pro suo libere & voluntate, in fundamentis & articulis fidei dominium alio quod sibi arrogare, & in ecclesia & caetu Christi, aliquid condendi & statuendi, ius & potestatem sibi tribuere studet & audeat.

7. Facit denique ad maiorem confirmationem nostrae sententiae aliquid auctoritas patrum. Hieronymus (g) inquit: Ubi honor non est ibi contemptus est, ubi contemptus ibi frequens injuria, ibi & indignatio. Polycarpus: Talis honor magistratui tribuendus est, qui non est contrarius religioni. Tertullianus: Colimus imperatorem, sic quomodo & nobis licet, & nobis expedit, ut hominem a Deo secundum, solo Deo minorem. Cassiodorus: Dignus enim videtur, ut qui scientia praeditus, reddatur honore reverendus. Chrysostomus: Non in ecclesia solum, sed ubique doctorem caeteris praestare oportet, nam quemadmodum homo ubicumque fuerit, caeteris animalibus praestat: Ita & doctorem, caeteris hominibus excellere, adeo ut in incessu, & aspectu & habitu, omnibusque simpliciter aliis praestantior esse videatur.

CAPUT SECUNDUM.

De Communione bonorum.

Error

f) Matt. 23. 8
1. Cor. 3. 6.

g) In epistola.
In quadam
Epistola.
Histo. eccl.
lib. 4.

Error Primus.

Thomas
Minze. vid.
formulam.
concordiæ
art. 12.

Homo Christianus salva conscientia proprium tenere non potest.

REFUTATIO.

Non omnes Anabaptista, sed saltem inter ipsos Hutteriani reperiuntur, qui, ut communionem bonorum tanquam rem necessariam & ab Apostolis in primitiva Ecclesia mandatam & constitutam, ut sequenti errore videbimus, obtineant, negant licere homini Christiano, ut possideat proprium seu facultates & divitias; nos vero id affirmamus.

1. Quia S. licera non tantum serio mandant, ut homines in sudore vultus victum quarant, manibus suis operentur, ac laborem manuum suarum manducent (a), sed etiam ut possideant ac habeant suas divitias soli; imò prohibent, ne sint alieni participes earum; nec dent alienis annos suos, ne forte impleantur extranei facultatibus, & labores ejus sint in domo aliena.

2. Deinde quia divitiae & facultates sunt donum Dei altissimi; (b) benedictio enim Domini divites facit. Et Iacob inquit, quod ipse Deus rulerit substantiam patris suarum conjugum, & dederit sibi: Et fratrem suum Esavum alloquitur his verbis: Suscipe benedictionem quam attuli tibi, quam donavit mihi Deus, tribuens omnia. Et Deus Salomoni petenti cor docile, respondet: non tantum cor sapiens & intelligens, sed & quæ non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet & gloriam. Sic Christus: Si vos cum sitis mali, nostris bona dare filiis vestris; quanto magis pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se. Quia itaq; divitiae & opes donum & benedictio Dei sunt, non utiq; rejicienda, sed cum gratiarum actione in vero usu retinenda ac possidenda sunt.

3. Quemadmodum de pluribus sanctis; (c) Abrahamo, Lot, Isacco, Iacobo, Iosepho, Booz, Salomone, Iesaphat, Ezechia, Iob, Iob, Iob.

a) Gen. 13. 25
c. 26. 14. c.
c. 36. 6. 7. c.
42. 52.

b) Prov. 10.
21.
Gen. 31. 9. c.
33. 11.
3 Reg. 3. 12.
13.
Matt. 7. 11.

bo, Iosepho Arimathæo, Zachæo & aliis viris piis ac religiosis, quod amplas opes ac divitias possederint, nec à Deo, quia eas non abjecerunt, propterea reprehensi, ac reiecti sint, sed nihilominus in gratia Dei permanserint, legimus. Quorum virorum sanctorum exempla tuto imitari possumus.

4. Et doctrina de Eleemosynis, & sustentatione nostrorum domesticorum, rerum & facultatum proprietatem confirmat; nam sublatis & abjectis facultatibus, nemo dare & pauperi subvenire, nec suos sustentare potest, quod tamen S. S. Scriptura monet (d) ut petentibus & egentibus demus, pro ratione facultatis & proprietatis quam à Domino habeamus; si multum nobis fuerit, abundanter tribuamus, si exiguum, etiam illud libenter impertiri studeamus; Bonum facientes non defatigemur, sed dum tempus habeamus beneficiamus omnibus, maxime autem domesticis fidei. Et ad conviviam nostra vocemus pauperes & debiles, & de nostra pecuniâ faciamus nobis amicos, & esurienti cibum siccanti potum, nudo vestem communicemus. Et Paulus adhorretur ut quisq. curam suorum habeat, uxorem & liberos suos sustentet & alat, qui verò id facere recuset, eum fidem abnegasse & infideli deteriorem esse affirmat.

5. Ex hisce itaq. concessas ac licitas imò necessarias quoq. esse divitiarum ac facultatum possessiones sequitur; nec usquam in S. S. liceris nisi iniustas prohiberi legitur. Apostolus enim (e) Timotheum jubet ut divitibus præcipiat non divitias abjicere, sed non superbire neq. in incertis divitiis sperare. Et Psalter inquit: Si divitiæ crescant, nolite cor apponere; etiam ampliarum divitiarum possessionem & usum concedens, sed abusum earum prohibens ac damnans.

6. Deniq. de licito ac concesso usu ac possessione divitiarum & facultatum Antiquitatis notatu digna existant testimonia. Ambrosius inquit (f): Discant divites, non in facultatibus crimen haberi, sed in iis qui uti nesciant; nam divitiæ ut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutum. Hieronymus: Difficile

C

est, ut

Job. 1. 3.
Ruth. 2. 1.
3. Reg. 10.
14.
2. Par. 17. 5.
c. 32. 27.
Luc. 19. 2.

d) Syr. 14. 13
14. 15. 16.
2. Cor. 8. 11,
Gal. 6. 9. 10
Tob. 4. 9.
Luc. 14. 13.
c. 16. 9.
Matt. 6. 3. c.
25. 35.
2. Cor. 12. 13

e) 1. Tim. 6.
17.
Psal. 62. 11.

f) In Lucam
Lib. serm.
29.
In Psal. 5.
In Psal. 62.

In Homil.
In Epist. ad
Salvi.
Serm. 4.
Super Luc.
cap. 14.
Epist. 15. &
18.

est, ut non sit superbus, qui Divites est. Tolle superbiam, & divitias non nocebunt. Idem: Hoc attendite ne passim divites reprehendatis, & rursus ne de paupertate & egestate presumatis. Si enim non est presumendum de divitiis, quanto magis non est presumendum de paupertate: Pauper ulcerosus, non habens escam nec vestem ablatus est ab angelo in sinum Abrahae. Vides quis sublatus est, non vides quod sublatus est, in sinum Abrahae. Lege Scripturam & invenies divitem Abraham. Sublatus est ergo in sinum divitis pauper. Augustinus: Divitiae si affluant, nolite cor apponere. Ille igitur qui non habet non ambiat, is qui habet non superbiat. Et non dicit, nolite habere, sed cor apponere. Non enim damnat divitias, sed cor appositum, quod scilicet non expendit sed recondit. Chrysostomus: Divitiae non sunt peccatum, sed peccatum est eas non distribuere pauperibus. Hieronymus: Diviti non obsunt opes, si bene in utatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit. Bernhardus: Aurum & argentum, & caetera huiusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt nec mala: usus tamen horum bonus, abusus mala sollicitudo peior, quasi turpior. Beda: Non reprehenditur dives, quod terram coluerit, vel fructus in horrea congregaverit, sed quod fiduciam vitae in illis posuerit, nec pauperibus erogaverit, ut ab eis reciperetur in aeterna tabernacula. Seneca: Sapiens non amat divitias, sed mavult: nec respuit possessas divitias, sed contemnit. Idem: omnia ista nobis accedant, non habeant, ut si auferantur, sine ulla nostri laceratione discedant. Utamur illis non gloriemur, & utamur parce tanquam depositis apud nos.

Monasteri-
enses lib. re-
stitut. Vide
Form. Con.
art. 12.

Error Secundus.

Nemo potest salvus fieri nisi in commune conferat sua bona. Omnia bona debent esse communia ut in Actis Apostolorum.

REFUTATIO.

Inter reliquos steriles & absurdos errores, etiam communio-
nem bonorum urgens, cum monachis adversarii nostri, dicentes:
Quod nullus, nisi in commune eas, qua sibi à Deo data facultates,
confe-

conferat, saluus & haeres vitae aeternae fieri possit. Sed propria facultatum ac opum possessione & usu licito, in refutatione prioris erroris probato, facilis est ad communionem bonorum responsio.

1. Tanta verò vis & efficacia communioni bonorum ab adversariis affingitur, quae toti Scripurae, gratiae Dei, merito Christi, fidei ac reliquis salutis mediis contraria, sua crassitie sat palpabilis, & cuiusvis Orthodoxo vel etiam sani iudicii homini est abominabilis & invisus, ne longiori refutatione indigeat. Praesertim cum & ipsa communicatio bonorum, propria ac licita illorum possessione mox probata, spontè corruat ac exspiret, nedum ut huiusmodi efficaciam habere possit.

2. Divitum enim Patriarcharum & aliorum Sanctorum, quorum supra facta est mentio, salutis suae divitiis non obfuerunt. Nec enim Christus Nicodemum ad se noctu venientem & de via ad vitam aeternam quarentem, iubet in commune conferre facultates ac opes, sed aqua ac spiritu renasci (a). Et diviti iurveni, quid sibi, falso observationem legis integram iactanti, ad salutem desit, respondit Iesus; Si perfectus vis esse, vade & vende quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo; & veni, sequere me: mandans non in commune conferre opes, sed in pauperes erogare, non ut hoc facto vitam mereatur, nisi sequatur Christum quod maxime fide fit; sed ut defectum suum ac vanam iactantiam ac persuasionem agnoscat. Sic Zachaeo decipienti Christum cum gaudio non injungitur, ut bona ac facultates suas in commune conferat, sed ipse ulterò dimidium bonorum non in comune, sed pauperibus se collaturum promittens, audivit à Christo haec verba: hodie salus domui huic facta est, eò quod & ipse filius sit Abrahae; id quod fide fieri Apostolus testis est. Sic nec Cornelio baptizato Petrus, nec Lydia purpurarum venditrici concione Pauli conversa, ille communionem bonorum imponit.

3. Quod autem adversarii nostri in illo exemplo prima Ec-

C 2


clesia


a) Ioh. 3. 5.
Matt. 19.
20. 21.
Luc. 19. 3. 9.
Rom. 4. 17.
18.
Gal. 3. 7.
Act. 10. 48.
c. 16. 14. 15.

b) Act. 2. 44.
45. c. 4. 34.
35. c. 5. 5. c.
10. 6. c. 12. 12.
c. 16. 15. c. 21
8. c. 11. 29.

clēſia (b) falſa ſuae ſententia praſidium quaerunt, quā frustra id fi-
at, qui vis ſtatum iſtius Eccleſiae perpendens facile intelligit. Fuit
enim illa communio non iuris ſed tantum facti, nec ex neceſſitate
abſoluta, ſed liberrima voluntate pro ratione iſtius temporis, cum me-
tu periculi ereptionis bonorum ab ethnico & impio magiſtratu, tum
amore & deſiderio audiendi verbum Dei & converſandi cum Apo-
ſtolis, ſuſcepta. Non enim credentes ex neceſſitate ſua bona in com-
mune, qui id fecerunt, contuliſſe, Apoſtoli Petri verba docent, quibus
ſic Ananiam alloquitur: Cur implevit Sathanas cor tuum ut men-
titeris in ſpiritum ſanctum & abſconderes de precio agri: nonne ſi
ſervaviſſes, manebat tibi, & venundatum erat in tua poteſtate; Quod
ſi itaq; in Ananiae poteſtate fuit, pecuniam quam pro agro acceperat
integram retinere, vel integram ad pedes Apoſtolorum conferre
(Nam Petrus non reprehendiſſet in Anania ſi ſervaviſſet, nam ex-
preſſe dicit in tua erat poteſtate) conſtat ipſum nihilominus potuiſſe
vivum eccleſiae membrum manſiſſe, quia illa bonorum communio
non mandati & praecipi ſed libertatis Chriſtianae fuit. Quemadmo-
dum de multis credentibus illorum temporū legimus, quod bona ſua
in commune non contulerint ſed ſibi retinuerint, ac tanquam pro-
pria poſſederint, ut Coriarius, Maria mater Iohannis, Lydia, Phi-
lippus Evangeliſta. Et Chriſtiani Antiocheni, pro ut quique
habebat fratribus indigentibus in Iudaea ſubſidi-
um miſerunt.







presenti hoc errore pronunciet, qui & olim sua
 auctores partim propagatores in Ecclesia
 Originem Alexandrina Ecclesia antisitem
 Palestinas; nunc iterum resuscitatur à nonni
 rum in proscenium educitur, palliatur, com
 impij hujus dogmatis absurditas eò magis innot
 literarum & rationum stateram examinanda

1. Contrariantur illi scriptura dicta ea, qua
 diabolorum & hominum damnatorum aterna
 desituras esse perspicue confirmant(a): qua ve
 morientem asserunt: Iram Dei mansuram sup
 esse ignem inexstingvibilem, interitum aterna
 ternum, iudicium sine misericordia, pronunciat
 extremo die abiecturum maledictos in supplic
 Quod si itaq; homines damnati usq; in aterna
 lumen & Diaboli in secula seculorum crucia
 tandem erunt salvandi, aut quis finis penis ipj
 Neq; est, ut quis cavilletur, vocabulum aterna
 lutam sine fine perpetuitatem, sed periodicam
 temporis limitatam diuturnitatem denotare. I
 quæstioni accommodari non potest: siquidem
 quam convincietur, quod pœna damnatorum
 ra sint, sed potius constat, nullam mutatione
 summi iudicis, quo ad statum rerum. futuram
 æternum, simpliciter in propria significatione
 quid assumitur, pro figmento reputamus.

2. Deinde & rationes contra prodigiosum h
 tant. 1. Quia damnatorum peccata mortali
 temporalia violant & contempnunt æternum
 videlicet Deum, & æternam vitam; iustissime
 æternis pœnis puniuntur. Cum enim duplex sit
 cundum intentionem acerbatis, & secundum

2) Esa. 66. 24
 Ioh. 3. 36.
 Matt. 3. 12.
 2. Thef. 1. 9.
 Hebræ. 6. 2.
 Iacob. 2. 23.
 Matt. 25. 47.
 Pfal. 49.
 Apoc. 20. 10

